

D E O D U C E
M E D I T A T I O S. E P I S T O L Æ.
F E S T O
S. M A T T H I Æ

Additis S. Patrum dictis, Quæstionumq; aliquot decisione, ad uberiorem textus cum opus est explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regiâ Aboënsi Academiâ,

P R A E S I D E,

D N . Æ S C H I L L O P E T R Æ O , S . S .
Theolog. Doctore & Episcopo Aboënsi,

Examini subiicit in Auditorio Majori, horis solitis.

Ad diem Maji, Anni 1635.

C A R O L U S E R I C I P O R T U L I N U S
A L A N D U S.

Beda in hunc locum.

Dignam sibi pœnam traditor invenit, dum guttur quo vox prodigionis exierat laqueo necavit: dignum etiam locum interitus quæfivit, ut quia hominem & Angelorum dominum prodiderat: cœlo & terræ prorsus, quasi aeris spiritibus socians, dus.

Lyra in hunc locum.

Orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium &c. licet enim istos elegerint ut notabiliores aliis, ut dictum est, propter quod super hoc impleravunt divinum judicium per temperationem fortium.

A B O Æ,

Impressa à P E T R O Hansøn/ Acad. Typog.

Admodum Reverendis, Humanissimis, Politissimis
ac Doctissimis Viris.

DN. BOETIOMURENIO Pastori Ecclesiæ quæ
Deo colligitur in Saltwic Vigilantissimo, ut, & Præposito
Alandensium Gravissimo, Promotori ac Mecœnati certis-
simō.

DN. GUDMUNDO ROTHOVIO Oecono mo
inlyti Templi Chatedralis urbis Aboënsis Attentissimo.

DN. BRYNOLPHO MAGNI Peregrinij vicissim
Templi Chatedralis Aboënsis Ecclesiastæ fidelissimo, nunc
Ecclesiæ; quæ habetur apud Sundh/ in Alandia Pastori desi-
gnato vigilantissimo.

DN. WILHELMO de Gårdan/ Illustriss. Dn. CHRIS-
TINÆ Horn dispensatori aulico atq; Apologistæ pruden-
tissimo, Fratri suo conjurato svavissimo.

DN. MATTHIÆ BENEDICTI HEDEMOREO,
Rectori Scholæ quæ habetur in Alandia apud Saltwic Dili-
gentissimo.

DN. JOHANNI MARTINI Eferoot/ Vice-Pa-
stori in Sundh/ populari suo percharissimo.

*En ego? Fautores, quam non meliora Valerem,
Pignora quam nitidi fontis tractare salutis;
Hocce igitur placido, fautores cernite vultus.
Ingenij sacrum studium quod porrigo vobis.
Inspiciendo animum, veniam concedite facto,
Quo mens grata manet, certè dum firma vigebit.
Accipite hæc facili vultu, servate clientem,
Ipse Deus faxit vos cernere Nestoris Annos!*

Theologicam hancce Epistolam meritò propter
merita officiosè destinat

Carolus Portulinus Respond:

158

MEDITATIO S. EPISTOLÆ FESTO S. MATTHIÆ.

In Sanctis & summe Laudandæ Trinitatis, Patris, filii
& Spiritus Sancti nomine.



*Agistro Symphonie, ne perdas; Psal-
mus Asapho, Et canticum. Celebra-
mus te Deus, celebramus: nam pro-
pinquum nomen tuum, enarramus mi-
rabilia tua. Quum excepero conventum, ego rectif-
simè judicabo. solutas terra omniumq; habitato-
rum ejus, ego aptabo columnas maximè. Psal. 75. v.
2. 2. 3. 4.*

Quibus verbis Psalmista exponit gratitudi-
nem Ecclesiæ & omnium piorum, præsertim in hoc
quod loquitur de Dei operibus de miraculis ejus & bene-
ficiis variis, suo populo præstitis præter omnem expecta-
tionem, qualia miraculosa beneficia Deus cum primis
exhibuit, & præstitit in eductione populi Israelitæ ex Æ-
gypto, cum omni plaga, quâ Ægyptios graviter affixit
in propriis suis corporibus, in bonis & possessionibus,
Servavit Iudaæus semper incolumes & sine ulla læsio-
ne vel incommodo, custodivit eos ut pupillum oculi,
fuit murus aheneus pro eis. Quod in mari rubro fecit,
dividendo illud, per medium ducendo populum super
aridam. Pharaonem insequentem cum toto exerci-
tu horribiliter aquis immersit & suffocavit. Quanta
in deserto facta! Horum miraculorum sæpius recor-
dari Ecclesiæ Dei dicit David & sibi ob oculos ponere
cum laude & gratiarum actione. Sed potissimum ex-
tollit Ecclesia Dei singularem bonitatem & clementiam,

A

quod

quod mundum ita dilexerit, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam Joh. 3. Quod miserit filium suum in carnem ut sua morte redimeret genus humanum à morte æterna, potestate Diaboli & inferno. Et ad hanc suam dilectionem erga genus humanum per totum mundum divulgandum viros eximios Spiritu S. donatos emisit Apostolos, in scola informatos à Spiritu Sancto solenniter & miraculosè doctos in die pentecostes, inter hos viros est S. Matthias, de cuius ad Apostolatum electione textus explicandus agit.

O Remus etiam Deum ut hanc Epistolam ita meditari quimus ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinae & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem, dicamus igitur Pater noster &c.

T E X T U S *Act. 12. v. 15. ad finem,*
P O S T descriptionem ascensionis Christi in cœlum, subiicit S. Lucas relationem, quid egerint Apostoli, dicit quid de eos reversos à spectaculo mirabili & iucundo Ascensionis Christi in cœlum Jerusolymam, in cænaculum illud in quo congregati erant cum Christo in eiusagni paschalis & valedictoria ejus ante passionem concione, & precibus & orationibus occupatos, adfuisse etiam in cænaculo illo mulieres, Mariam Iesu matrem, cum suis fratribus, nec non alios piros, ad viginti centum homines. Coram hoc catu S. Petrus elapsis aliquot ab ascensione Christi diebus, orationem & concionem habuit ad præsentes, de interitu horribili Judæ proditoris Christi, & Prophetiam Davidis hac ratione impletam, quoad illius interitum & exclusionem è numero Apostolorum

lorum, Psal. 69. v. 27. iam dicit S. Petrus instare impletionem hujus Prophetiae, quoad successionem in officio & loco Judæ. Ideoq; eligendum aliquem monet successorem ex illis qui fuerunt cum Christo ab illo tempore, videlicet post baptismum Johannis usq; ad ascensionem ejus in cœlum, quo in ejus scholam & familiaritatem venerunt, propterea etiam duo constituti sunt, ex quibus unus fuerit Judæ successor. Præmitunt itaq; precatiōnem seriam ad Deum, ut ille ostendat, quem eligeret ex hisce duobus, ut occuparet partem ministerii Apostolici. Postea sortes miserunt, & fors cecidit super Matthiam, qui etiam cooptatus est in numerum Apostolorum. Admonemur tertii præcepti, requiri ad verbi Dei promulgationem & propagationem certos ministros. Excitamur ad orandum: Sanctificetur nomen tuum.

P A R T E S.

1. *De vacantia & defectu in munere Apostolico per interitum Judæ proditoris Christi.*

2. *De vocatione Matthiae in illius locum per sortem.*

Atq; hæ sunt istæ Partes, quas hâc vice breviter & simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & aeternus Deus Pater noster cœlestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuosè cedere faciat.

P R I M A P A R S.

In qua meditamur.

I. *Quis primus proposuerit*
hoc negotium de defectu personæ in numero Apostolorum

rum duodenario. Hoc indicat S. Lucas, cum dicit S. Petrum stetisse in medio discipulorum videlicet tunc præfatum, ac verba fecisse de hac vacantia & defectu personæ in numero Apostolorum; S. Petrus etsi non erat superior reliquis suis coapostolis, tamen erat senior, inter primos qui vocati erant in scholam Christi. Jam Christus ignovit & condonavit lapsum illum, quo abnegavit Christum, & pluribus verbis oves suas pascendas ei commisit, pluribus usus verbis & interrogationibus, an diligeret Christum, & mandatis ut pasceret oves & agnos Christi? ne dubitaret planè se vocatum ad munus Apostolicum post suum lapsum, non enim aufugit Petrus sed etiam abnegavit Christum. S. itaq; Petrus ut Apostolorum senior suscepit curam relarciendi hanc vacantiam non sine etiam reliquorum collegarum suorum consensu & voluntate, ut eorum etiam nomine rem hanc corā omnibꝫ præsentibꝫ deliberandā proponeret.

L. C. Seniorum est cumprimis curam gerere publici boni, Reip. & Ecclesiæ, familiæ quoque. Patriarcha Jacobus in charitate annonæ, cum in terra Canaan habitaret cum suis filiis, & audiret frumentū vendi in Ægypto, & filii non ita attenderant quid in granario esset, sed comederunt securi, donec fames venisset ut armatus miles in eos, cui resistere vix potuissent, tunc pater senex alloquitur eos & ad comparandum pecuniā frumentum ex Ægypto adhortatur. Gen. 42. v. 1. 2. Ita Ecclesiæ præsides, Episcopi ut seniores curam habeant suarum Ecclesiarum, ut moneant pastores vel alios verbi Dei ministros, ut maturè illius defectus, & vacantiae curam habeant; sicut etiam Apostolus Titum jubet in Creta constituere Pastores & verbi Dei præco[n]es. Ecclesiæ quoq; interest ut diu pastore bono non careant,

careant. Ne quibusdam incipientibus licentia prout volunt, vivendi concedatur, ideoq; susq; deq; habent, contingat ne eis pastor nunquam, verum stulta est ejus modi oscitantia, quare potius orandum ardenter, ut Deus det viros, qui querant Ecclesiam regere jam pa- store orbatam. Oremus: Sanctificetur nomen tuum.

**II. Causam vacantiæ in mu-
nere Apostolico & numero illo duodenario.** Hanc indicat S. Petrus dicens: Viri fratres, Scripturam oportet impleri, quam Spiritus S. antea prædixit per os David de Iuda qui fuit dux eis, qui comprehendenterunt JESUM. Hic inquit S. Petrus, cooptatus fuit in numerum nostrum & particeps nostri officii, verum hic comparavit agrum prætio injusto, suspendit se & viscera ejus effusa sunt. Ethoc est manifestum, inquit, omnibus habitantibus in Jerusalem, siquidem hic ager hodieq; vocatur eorum lingua akeldama, ager sanguinis. Scriptum est, inquit, in libro Psalmorum: fiet domus eorum deserta, & non sit, qui habitat in ea, & officium ejus accipiet alter. In causa vacantiæ & defectus personæ in numero duodenario indicatur, videlicet quod Judas Iscarioth qui fuerit dux eis, qui comprehendenterunt JESUM, ad id prætio conductus, triginta argenteis; Postea pænitentia ductus, quod sanguinem innoxium prodidisset, conscientiæ stimulis exagitatus, in desperationem de gratia Dei incidens, seipsum de medio sustulit horribili exitu. Quod Judas dicitur agrum comparasse prætio injusto, triginta illis argenteis, sic intelligendum, quod comparavit agrum non sciens, ideoq; nec sibi, sed quia pecuniam comparavit proditione sua, quam pecuniam

postea

postea summi sacerdotes collocarunt in emendo agro pro
cœmiterio exterorū, qui ager retinuit nomen Akeldama
sive agrī sangvinis Atq; ita acciderat vacantia in numero
Apostolorum qui debebant esse duodecim, ex præscri-
pto Christi ante ejus passionem & mortem, qui etiam
fuerunt duodecim.

L. C. Quod quis deponitur propter scelerā
& flagitia, à suo gradu & dignitate, quam legitima & di-
vina vocatione acquisivit, id Deo non adscribendum,
Deus non est volens iniquitatem, nec delectatur incom-
modis hominum, verum quia justus est in operibus suis
omnibus, non potest ferre sceleratos & impios in ho-
noris gradu, in quem eos collocavit, sed deponit eos. Ita
de judicibus & magnæ eminentiæ hominibus canit Da-
vid Psal. 82. per totum. Et de aulæ suæ ministris dicit
David Psal. 101. per totum. Videant itaq; in magna di-
gnitate & honore constituti, ne ob malefacta deliciantur
de suo gradu. Melius esset non exaltari, quam ex alto
deponi. Oremus: ne nos inducas in temptationem Sed
libera nos à malo. Simus ita animati ut David Psal. 119.
v. 57. & v. 101. 102. 103. 104. v. 116. 117. 124. 125. 173. 174.
175. 176.

III. Prophetiam Davidis de
hac vacantia & interitu & remotione Judæ ab of-
ficio Apostolatus. Vaticinatus est David Psal 69. v. 27.
Cujus verba S. Petrus adducit videlicet hæc: fiet habitatio
eorum deserta & nemo habitet in tabernaculis eorum;
S. Petrus addit hæc verba: & Episcopatum ejus accipiet
alter. Quæ additio ipsi prophetiæ Davidis non repu-
gnat. Cæterum apprimè notandum hanc Davidis
Prophe-

Prophetiam à Spiritu S. prolatam de excidio Judæ, minime fuisse causam quod Iudas perierit, sed ideo hoc prædictum quia eventurum erat, ut ostendat Deo etiam futura nota esse æquè ac præsentia.

L. C. 2. Mutationes quæ accidentunt in mundo, in hoc vel illo statu, non sunt ignorantie Deo sed scientie & permittente ideoq; ejus providentia minimè fallitur vel irrita est. Videtur quidem interdum fieri magnæ in mundo confusiones, quasi Deus nihil harum sciret & earum esset planè ignarus, ac proinde dicit David Psal. 14. v. 2. Simus itaq; animo imperterriti, etiam si omnia sursum & deorsum fieri videantur. Deus enim videt jam incognitum nihil videt quod non moderari potest in suam laudem, in malorum pœnam & piorum promotionem commodumquè. Ita se consolatur David Psal. 73. v. 1. seq. per totum.

L. C. 2. Videmus consensum Sacrorum librorum, veteris & Novi Testamenti, & quomodo novi Testamenti scriptores citatione dictorum ex illis libris confirmant autoritatem librorum V. T. ut ita demonstrent eorum etiam in Ecclesia N. T. usum & utilitatem.

SECUNDA PARS.

Fuit pars prima in consideratione vacante & defectu qui acciderat excidio Iudæ; in hac altera parte videntur restat, quomodo successor constitutus in locum Iudæ.

In quâ meditamur:

I. Necessitatem successoris constituendi. Allegat S. Petrus etiam hic scripturam

pturam ex libro Psalmorum, ut videre est ex Psal. 109.
v.8. Allegat itaq; S. Petrus hæc verba, quæ Spiritus protus-
lit & hoc accommodat ad probandum, alius in locum
Judæ surrogandus sit. Unde dicit Apostolus: Oportet
itaq; ex his qui nobiscum fuerunt, testem esse resurrecti-
onis Christi, q. d. S. Petrus constat toti huic urbi de exci-
dio Judæ, & quæ fuit hujus causa, videlicet quia per avar-
itiam suam prodidit Christum Jesum, tantam vexatio-
nem conscientiæ sensit in se Dei justitiam ut se ipsum in-
terimeret, & ager emptus illâ pecuniâ quam ille merce-
dis loco accepit, ager emptus in sepulturam peregrino-
rum, qui ager jam vocatur ager sanguinis, adeò ut sit
jam res satis cognita, Iudam non amplius superesse, &
propterea hunc locum adhuc vacare. Cum verò præceptū
divinum effectui dandum, & alius in locum substituen-
dus, utique hoc non intermittendum sed quantocius ex-
pediendum hoc negotium.

L. C. Quæ noverimus divinæ voluntati esse
conformia & consentanea, à Deo demandata, illa utiq;
non usq; dèq; habenda sed maturè exequenda; Præser-
tim illa quæ conservant publicum bonum. In Ecclesia
quidem in locum alterius nemo se intrudere debet in
ministerio Ecclesiastico, nemo debet alterius panem
concupiscere. Non concupisces domum proximi tui
ideoq; S. Petrus probat evidenter coram suis auditoribus
q; non sit ampli cogitandū de Iuda, quod is adhanc fun-
ctionē redditur, sed de alio cogitandū præficiendo huic
officio. Ideoq; Episcoporū ē officiū. vacantib; Pastoratib;
b; in Ecclesiis constituere successores ut nihil desideretur
invinea Domini & messe ejus; à Deo petendi boni opera-
rii, non e. conduceit Ecclesiæ, esse diu sine Pastore, sicut
neutquam proficuum est ovibus diu carere Pastore pro-
pter

pter lupos insidentes simplicibus ovibus; bonus Pastor salutaria pabula quærerit ovibus, custos est ovium, lupos & alia animalia rapacia quantum potest, arcet, ideoquæ & Christus se cum bono pastore comparat, Joh. 10. Et Ecclesia sibi gaudet de tali pastore, Psal. 23. per totum.,

II. Unde successor desumendus.

Postquam ostendit S. Petrus successorem esse constituendum in locum Judæ, jam ostendit ex quo hominum genere & statu vitæ desumendum esse censeat illum successorem. Oportet, inquit, aliquem ex his viris qui nobiscum fuerunt omni illo tempore, quo Dominus Jesus ingressus est & exivit nobiscum à baptismate Johannis in eum usq; diem, quo à nobis assumptus est, nobiscum testem fieri resurrectionis ejus. Quibus verbis S. Petri indicatur, quod non quis ruditus doctrinæ Christianæ & novitus in illa, constituendus esset successor, sed qui à Christo assumptus fuisse in ejus Scholam mox inde ab initio, quo cœpit Christus prædicare publicè & privati etiam discipulos informare & præparare in usum sacri ministerij.

L.C. i. Ad officiū docendi & sacra administrandi non quivis desumendi, sed benè versati in schola Christi, qui prius didicerunt doctrinam & illam quam propone-re debent, qui est in conversatione & vita sua & moribus inculpabilis, quantum in hac humana infirmitate fieri potest. Ita Apostolus vult desumere successorem & collegā in officio Apostolico illum, cuius nota erat vitæ integritas & irreprehensibiles mores. Constituendus aliquis, inquit, ex illis qui nobiscum fuerunt tanto tempore per tres & ultra annos. Talem requirit Apostolus in

ministerio Ecclesiastico i. Tim. 3. Oportet Episcopum esse irreprehensibilem &c. v. i. seq. ad v. 8. i. Tim: 4. v. 6. seq. ad finem capituli i. Tim. 5. v. i. 2. 3. Tit. 3. v. i. 2. 10. ii.

L. C. 2. Doctores Ecclesiae doctrinam catecheticam cum primis tractent & minimè negligant docēant Christum resurrexisse ex mortuis, sicut & mortuum & passum pro peccatis totius generis humani, illum esse agnum tollentem peccata mundi, illum mortuum propter peccata nostra, & resurrexisse propter nostram justitiam. Et i. Cor. 2. Apostolus summam sapientiam aestimat scire Iesum Christum & hunc crucifixum, v. i. seq. ad v. 9. Philip. 3. v. 7. seq. ad v. 15.

III. Successoris constituen-

di modum. Constituerunt, inquit S. Lucas, duos in electione, Josephum qui vocatur Barsabas cognomento Iustus, & Matthiam. Hi ambo fuerunt prius in schola Christi educati informati, & ab Apostolis probati, quod essent apti ad hoc ministerium, verum duos assumere non placuit Deo retinendus tamen adhuc duodenarius Apostolorum numerus, donec S. Paulus etiam accederet huic numero ex schola Phariseorum. Quia v. scire haud potuerunt uter horum divina voluntate desumendus esset ad hoc ministerium, utuntur medio duplo ad indangandum & scrutandum Dei voluntatem, utrum vellet eligere. Primum medium est ardens ad Deum in vocatio hunc in modum composita: Tu Domine qui novisti corda omnium, ostende utrum tu eligeris ut accipiat ministerium hoc Apostolicum, unde Judas excederat pergens ad locum suum. Insignis precatio, qua & Deo tribuitur sua laus, quod sit omnium cordium

cordium scrutator, coram ipso nihil abditum in intimis
cordis penetralibus, ut canitur Psal. 139. v. 1. seq. ad v. 18
Petunt ut evidenti signo significet quem desument col-
legam, per medium quod adhibere statuerunt videlicet
per jactum sortium. Hac oratione præmissa ab omni-
bus præsentib; adhibetur usitatum tunc temporis & sine
dubio à Spiritu Sancto probatum, jaciunt sortem, & fors
Apostoli futuri cecidit super Matthiam & non super Jo-
sephum, Sortium usus à Deo interdicitur prov. 16. v.
33. Licet Joseph præstantior potuerit videri ac aptior
ad Apostolatum quam Matthias, illum Matthei ut supe-
riorem præferunt, tamen eligitur à Deo Matthias; atq;
ita convenit hoc nomen huic Apostolo, significat enim
Matthias illum, qui donatus est à Deo. Hic, inquit S.
Lucas hac ratione cooptatus in numerum Apostolorum
undecim, ita completus numerus duodenarius Aposto-
lorum..

L. C. 1. Cum dubium est de aptitudine unius
præaltero ad officium aliquod administrandum, licet
æq; aptus videri potest ac alius, & æq; alius atq; hic quam
cogitamus præficere isti functioni, nescimus tamen
quem Deo cum primis placeat adhibere, & qui melius
rem expedit, rectè & piè Deo commendatur hoc nego-
tium dirimendum, ut etiam absq; sortium jactu in ani-
mis nostris ingeratur cogitatio de hoc vel illo præferen-
do aliis. Cum itaq; Ecclesiæ vacanti & pastore opus
habenti offertur vel mittitur aliqua persona, una vel plu-
res, Deus orandus ut illum eligat & amicos eorum ad il-
lam personam eligendam flectat quæ ei Ecclesiæ aptior
esse quæat. Deus novit corda, unde officii administra-
tio procedit. Et Christus docet orandum esse Domi-
num n eissis, ut mittat operarios in vineam suam.

L, C.2, Quem Deus eligit & mittit, aeeptan-
dus est nec indignè ferendum, quod Deo aliud placuit
quam nobis, nostrum est dirigere nostras cogitationes &
vias ad iutum Dei, nos in nostro judicio falli possumus
& errare, Deus v. minimè. Neq; decet ægrè ferre
quod alii nobis in electione præponantur. Deus scit
quis cuilibet operi & officio aptus. Præficit hunc illi
officio, alium alij functioni. Mosen elegit in impera-
torem & ducem populi, fratrem ejus Aronem in docto-
rem & sacertotem populi. Quare ita faciat? Quis co-
gnovit mentem Domini? ille qui vocatur à Deo, intel-
ligit & videt se legittimè adeoq; à Deo vocati, quamvis
deprehendat se corruptiorem & infirmiorem ad tale o-
nus gestandum, tamen non detrectet, non tergiversetur
sed eat quo mittitur, ita se fecisse dicit Paulus, cum vo-
catus esset ad Apostolatum. Gal. i, v. ii. ad v. 18. Tergi-
versati sunt Sancti Prophetæ quidem nonnulli, propter
periculum in functione prædicandi verbum Dei, quia
veritas odium parit, sed vicet tamen Dei voluntas; huic is-
raq; parendum ac dicendum! Ecce servus Dei, fiat tua de-
me bona voluntas.

Clementissime Deus pater cœlestis qui justo
tuo judicio proditorem Judam è numero servo-
rum tuorum Apostolorum exclusisti, & alium in
eius locum sustituisti, gratiam quæsumus largire,
ut nos qui in officio prædicationis Evangelii su-
mus constituti, & nobiscum nostri auditores, af-
flatu S. Spiritus regas ac ducas, ut semper tibi fa-
ciamus grata & placentia. Per Dominum no-
strum Iesum Christum, Amen,

Benedic

Benedictio, & Claritas, & Sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus,
& fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen. Apoc: 7. v. 12.

QUÆSTIONES.

I.

Quare Apostoli non mox orent Deum, ut indicet quem velit Apostolum ex tota multitudine sine Electione? Resp. Notandum nobis est Apostolos bac in re nibil tentasse nisi auspicijs. Et ductu Spiritus Sancti: Nam ex Sanctitate vestre quæ in his duobus Conspicua erat, Et testimonio quadomnes reddebat, non dubitabunt quid alterius horum opera vellet uti Dominus, in quibus conquirendus cum officio suo satisfecerint, ulterius progreedi nolunt, nisi diserte Dominus quid velit declararet.

II.

An sortibus utilitum? Resp.

Dicendum quod uti sortibus est ex vario eventu seu dispositione alicujus rei sensibilis proposito determinare aliquid dubium vel incertum: sicut ex festucis propositur per hoc quod aliquis accepit breviorem vel longiorem: seu in profectione taxillorum: Ex hoc quod aliquis projectit plura puncta vel pauca, ut ex consilibus aliquid dubium inter homines determinatur, Et si hoc fiat ad aliquid determinate agendum vocatur sors consultoria. Si dispositio vel eventus sortium expectetur a fortuna tantum, nullum vitium est. Si mittantur sortes

sortes ad determinandum inter homines, quis quam
partem accipiat alicujus rei. Et hoc ex communi con-
sensu comittitur fortunæ. Causa tamen motiva po-
test esse peccatum ut si propter cupiditatem propriam
vel aliquod vitium si non possunt concorditer alio modo
dividere. Si aut dispositio sortium vel eventus non
expectetur solum à fortuna, sed ab alia causa hoc est
dupliciter. Uno modo à causa corporali, ut à dispo-
sitione stellarum & sic cum actus stellarum ad hoc se non
extendat: superstiosum est & illicitum: Et non caret
occulto pacto dæmonum. Alio modo quando expecta-
tur eventus & dispositio sortium à causa spirituali di-
rigente & hoc est dupliciter, Uno modo à Dæmone &
hoc est illicitum: quia includit familiaritatem &
pactum cum Dæmonibus. alio modo à Deo
expectatur immediatè vel mediantibus An-
ges-
les sanctis, & hoc non est illicitum secun-
dum se, si fiat Cum reverentia
debita.

